



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catena Temporum

Andrian, Carl

Herbipoli, 1698

Series XIII. Res memorabiles tum sacræ, tum profanæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65485)

358 *Motus elementorū & signa de calo.*
totam terræ motus horrificus concussit
an. 1693. vel omnino vel magna ex parte
deletis pagis, oppidis, & urbibus pluri-
bus. Inter quas Syracusæ, Catana, Leon-
tini, sepultis, ut fama fert, centum ferme
hominum millibus.

Araris eluvio in Gallia 1602.

Iris sanguinea Strigonij per noctem 1604.

Plurium Rhætorum oppidum propinqui
montis ruinâ cū incolis opprimitur 1618.

Vesuvianum incendium horribile 1631.

Passaviū fere totū incendio perit an. 1662

Ætna circumjectos agros torrentibus
igneis latissimè vastat 1669.

Salisburgi ruinâ montis magna pars æ-
dium & hominum sepelitur.

Cometes arcus speciem exhibens totum-
que fere hemisphærium occupans, qualis
fortasse vix unquam antea visus an: 1682.
Index multarum, quæ secutæ sunt, calami-
tatum & vastationum.

Exundationes aquarum subitæ & info-
litæ passim ingenti hominum & pecorum
damno anno 1681.



SERIES DECIMA TERTIA.

Res memorabiles, sive Sacræ, sive
prophanæ à Christo nato ad

annum 1698.

SACH-

Res memorabiles sacra & prophana 395

☉☉ *Sæculum I. à L. ad 100.* ☉☉

Messala Corvinus orator celebris, duobus ante obitum annis sui etiam nominis obliviscitur.

Phænicem sub Tiberio visum testantur Tacitus & Dio:

Nero magnam urbis partem obscuris ædibus informem per Indum incendit, ut ardentis Trojæ imaginem exhibeat.

Joseph Anani per septennium lamentabili voce futuras Hierosolymæ calamitates prænunciat.

Titus Fulonius annum agens centesimum quinquagesimum Bononiæ sub Claudio vivebat. *Genebrard.*

☉☉ *Sæcul. II. à 100. ad 200.* ☉☉

M. Antonini Pij tanta fuit iustitiæ fama, ut Bactrianos, Hyrcanos, Indos aliasque barbaras nationes compulerit depositis armis eum arbitrum admittere.

Marcus Aurelius Antoninus ad belli sumptus exhausto ærario, ne gravis cuiquam foret, instrumentum omne imperatorij cultus vendidit, & mox partâ victoriæ ex spoliis redemit.

Ælius Pertinax tantæ suscepto imperio modestiæ fuit, ut nec uxorem Augustâ nec filium Cæsarē à senatu appellari passus sit.

☉☉ *Sæcul. III. à 200. ad 300.* ☉☉

Alexander Severus Christum in Deorum nume.

numero reponere frustra conatus, in Larario suo privatim coluit.

Idem Magistratus nullos venales esse voluit, dictitans fieri non posse, quin vendat iterum, qui emerit; nec posse à Principe animadverti in eum, qui vendat quod emerit.

Plotinus Philolophus frustra petiit à Gallieno, apud quem gratiâ valebat, ut urbs diruta instauraretur, quæ Platonis legibus viveret, atq; inde Platonop: diceretur.

Urbs Phridiæ Christiana imperante Diocletiano pro Christi nomine tota cõburitur.

☉ ☉ *Sæcul. IV. à 300. ad 400.* ☉ ☉

Criminosos dissidentium Episcoporum libellos in ignem coniecit Constantinus, dictitans: *Ego Episcopum delinquentem si viderem, hæc purpurâ operirem.*

Tanto honore Idem Constantinus in Nicæno Concilio Episcopos coluit, ut postremus sederet Augustus.

☉ ☉ *Sæcul. V. à 400. ad 500.* ☉ ☉

Memorabili Pulcheriæ sororis prudentiâ Theodosio II. puero stetit Imperium.

Eadem, cõbeunte fratre, Martianum in virum deligit, integrâ tamen virginitate Imperij, non thori confortem.

S. Leo divinâ planè eloquentiâ Attilam ab urbis obsidione deterret 452.

Ecclesia Catholica perstat, tametsi omnes

nes Principes aut hæretici essent, ut Anastasius Imper: Reges Italiæ, Hispaniæ & Africæ, aut Pagani ut Anglorum, Francorum & Germanorum Reges.

☉☉ *Sacul. VI. à 500. ad 600.* ☉☉

Alexandriæ plurimi utriusque sexus à Dæmone correpti, canum instar lataverunt 515.

SS. Medardus & Gildardus fratres eodem die nati, eodem Episcopi facti, eodem quoque die in cælum volarunt die 8. Junij an: 564.

Romildæ filix matri dissimiles, ut ab Avaribus castitatem tuerentur, crudorum pullorum carnes intra mamillas putrefaciendas collocarunt 600.

☉☉ *Sac. VII. à 600. ad 700.* ☉☉

Costroës Persarum Rex argenteâ ædiculâ ad id excitatâ, sacram Crucem quam captis Hierosolymis asportarat, ad dexteram suam in aureo folio tanquam regni collegam constituit 615.

Pyrrhi C. P. Patriarchæ Monothel: damnationem scripturus Theodorus Rom: Pontif: Christi sanguinem è calice miscuit atramento 648.

Dum lues horrenda Italiam & Romam præcipuè popularetur, diabolus multis

Hh

spe-

spectantibus, urbem cum hasta obiens, ad Angeli imperium cuspede domorum januas feriebat, & postero die mortuorum numerus hastæ ictus æquabat 680.

☉ *Sæcul. VIII. à 700. ad 800.* ☉

Gregorius III. Luitbrandum Longobardorum Regem suum petentem caput, ultro adit; ille verecundiâ supplicis Romani Pontif: commotus & immutatus sese ad ejus pedes abijcit 739.

Rachisio Longobardorum Regi Perusinos obsidenti Zacharias Pontifex cælestis Numinis iram intentat; ille subitâ religione perfusus obsidionem solvit, seque cum uxore & filia Deo consecrat 750.

Cùm Leo IV. Imperator coronam auream gemisq; insignem ex æde S. Sophiæ sacrilegè raptâ capiti suo imposuisset, statim pestiferâ febre correptus miserè interiit.

☉ *Sæcul. IX. à 800. ad 900.* ☉

Grinnus Nicephori Cæsaris cæsi calvariam vertit in craterem 811.

Carolus Magnus quicquid moriens in thesauris habuit, pauperibus & sacris ædibus legatum voluit.

Basilus Macedo, quoties judicijs vacaret, per præcones populo denunciavit, adesse Augustum ejus ope & operâ uti volentibus.

Trebellius filium, cui, monachum inducus, Bulgariæ regnum reliquerat, effossis oculis in custodiam tradit, quia populos ad falsorum Numinum cultū revocabat 880.

☉ *Sæculum X. à 900. ad 1000.* ☉

Joannes Zemisces Imper: de Bulgariis victor B. Virginis simulacrum in curru veluti triumphans circumduxit 971.

Robertus Rex Galliarum ob illicitum conjugium ab Episcopis sacris diris devotus, à suis met famulis deseritur 998.

Augusta Othonis III, uxor falsi criminis architecta, quo in fontem Mutinensem Comitē insimulaverat, igne de mariti sententia, calumniæ & libidinis pœnas persolvit.

☉ *Sæc. XI. à 1000. ad 1100.* ☉

Conradus Salicus morti proximus, Imperatoris insignia ad Henricum Saxoniarum Ducem mittit, à quo nuper ingenti prælio victus fuerat, eum præ cæteris imperio parem æstimans 1039.

Casimirus Regiâ stirpe natus ex monacho Cluniacensi Rex Poloniæ, annuente Benedicto IX. Pontif. 1041.

Gothofredus Bullionius Rex Hierosolymæ renunciatus, nec insigne, nec Regium nomen usurpare voluit, ubi Christum meminerat Regem per ludibrium appellatum.

☉ *Sæcul. XII. à 1100. ad 1200.* ☉

Joannes Comnenus Imper: multiplici

de Turcis, Scythis, Hungaris partâ victoriâ, Deiparæ, cuius ope vicetat, imaginem pro se triumphare voluit.

Manuel Comnenus Augustus, posito genu afflictum ex casu generi sui Ba duini III. Hierosolym: Regis brachium suâ manu curare voluit, amore vincente majestatem.

Fridericus Ænobarbus cum ab Alexandro III. se totum avertisset, Gibellinorum & Guelphorum nominibus ex veteri Germaniæ discordia repetitis, pestiferas totâ Italiâ factiones excitat; qui partes Augusti sequerentur, Gibellini; quî Pontificis, Guelphi appellati.

☉ Sac: XIII. à 1200 ad 1300. ☉ 90

Genuenses matronæ insigni pietatis & Religionis exemplo ad comparandam in Saracenos classem, muliebrem mundum sponte distrahunt, 1301.

Veneti Ducem electum, sed Majestatis reum securi percutiunt 1354.

Tamerlanes ex Pastore latro, ex latrone militum ductor, ex ductore summus Imperator, ac terror orbis terrarum.

Margarita Hollandiæ Com. unico partu 365. liberos parit, qui omnes sacro fonte lustrati periêre. *Genebrardus ex Annal. Holland:*

☉ Sac: XIV. à 1300. ad 1400. ☉ 90

Mulier Marina nuda & muta in lacu Pumm e.

sive Sacra, sive Profana. 365

merio capta, vestem induere, panem & lactinia edere, ac honorem exhibere Deiparæ discit. *Spontanus 1403.*

Gregorius XII. Concordiæ causâ Pontificia insignia deponit 1415. & à Martino V. Pontifice Piceni legatus cõstituitur 1417

Joannes XXII. coactus abdicat, & Florentiæ ab eodem Martino in numerum Patrum cooptatur; quare eadem ætas duos vidit ex Pontificibus Cardinales.

Novus Orbis detectus à Christophoro Columbo Ligure 1492.

Vascus Gama Lusitanus superato Bonæ Spei promontorio Indos Orientis patefacit 1497.

☉ Sac: XV. à 1400. ad 1500. ☉

Henricus VII. post raptas totâ Angliæ Cænobiorum, & ædium Sacrarum opes, ipsâ prædâ factus est pauper.

Eodem fere tempore quo Christiana religio invec̃ta est per Monachos in Americam, turbata est per Lutherum apostatam in Europa Religio. Et in Machometicâ superstitione novæ Sediæ excitatæ sunt per Monachum Saracenum Techellim in Asia apud Persas, & per Ametherem pariter Monachum Saracenum in Africa inter Mauros *Florimundus Raymond, lib. 1. 104.*

Regii tres juvenes à Christianis Saxoniarum Regibus ad Gregorium XIII. Pont. missi.

☉ Sac: XVII à 1600. ad 1698. ☉

Quidam Impostor simulans se esse Regem Sebastianum turbat Hispaniam & Lusitaniam an. 1600.

Mauri ad 900. capitum millia ex Hispania pulsī propter pacta cum hostibus Christianismi 1610.

Protestantes anno Christi 1617 primum suum Jubilæum celebrantes palam profitentur novitatem Sectæ suæ.

Neapolis & totum Regnum seditione succutitur motuum auctore Thomâ Aniello piscatore, qui se Regem per octo dies gessit. an. 1641.

Christina Suecorum Regina Catholica Religionis agnitâ veritate, ut eam amplectatur, regno valedicit 1653.

Judæi omnes Viennâ proscripti, & Synagoga in templum conversa an. 1670.

Jacobus II, Magnæ Britannæ Rex nobilissimâ legatione ad Innocentium XI, Romanum Pontificem, vetusta suæ gentis, Anglorum, erga Apostolicam Sedem obsequia renovat 1687.

Innocentius XII. Apostolicæ Cameræ Magistratus vetat esse venales, 1692.

Idem Pauperes, quos Nepotes suos appellat, totâ Urbe collectos alendos suscipit, illisq; Lateranenses Pontificum ædes habitandas tribuit 1692.

* * *